

J. N. J. C. C.

UT

V I R I

EXCELLENTIA MUNERUM, QUIBUS PRAESUNT, DOCTRINAE
PRAESTANTIA ET VIRTUTIS SPLENDORE PRAECLARI,

NIMIRUM

INSPECTORES SCHOLAE
VENERANDI,

AC

RELIQUI SACRORUM ET JUSTITIAE PRAESTITES,
OMNESQUE, QUI CHEMNICIUM ORNANT,
DOCTI

EXERCITIIS QUIBUS-
DAM ORATORIIS,

IN SCHOLAE AUDITORIO MAIORI,
DIE XIV. JANUARIJ,

AUDITA NONA MATUTINA,

INTERESSE NON GRAVENTUR;
DECENTER ROGITAT

M. Daniel Müllerus,

Rect. Schol. Chemn.

CHEMNICII,

Literis Stöffelianis, M DCC XXVIII.



Lit. Graec.

B.

2188,88



* * *

Um ex *meis* aliqui, doctorum Virorum corona stipati, ad dicendum iterum surgere, ac de argumento, quod quisque sibi pro lubitu ac viribus suis delegit, agere constituerunt; ego quoque, illis diversa tractantibus, rem plane diversam exponere hic mihi posse videor. Et, ne quid dissimulem, simul ac ad scribendum appellebam animum; statim illud admodum necessarium vitæ morumque examen, quod *Samius* ille Philosophus, *Pythagoras*, traditis in disciplinam suam discipulis præcepit, meis de meliore nota commendare constitui. Versus, quibus illud continetur, sunt (a) sequentes:

Μηδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασιν προσδέξασθαι,
 Πρὶν τῶν ἡμερῶν ἔργων τρεῖς ἑκάστον ἐπελθεῖν.
 Πῆ παρέβην; τί δ' ἔριξα; τί μοι δέον ἢκ' ἐτελέσθῃ;

Ubi quidem in disquisitionem ante omnia venire istud videtur, sintne carmina illa vere aurea, quorum partem nobilem allegatos versiculos esse novimus, & quibus legendis nos jam occupamur, a *Pythagora* ipso, quem doctiores nihil plane scripsisse contendunt, an ab alio quopiam profecta? Qua de re si responsi aliquid dandum est, versuum horum, & integri carminis, si materiam spectemus, auctorem omnino reputandum esse *Pythagoram* judicamus; siquidem & *Proclus* (b) eundem τῶν χερσῶν ἐπ' αὐτὴν πατέρα appellavit, & *Clemens Alexandrinus* aliquem carminis hujus versum proferens (c), præceptum hoc esse *Pythagoræ*, existimavit. Sin vero in ipsa verba versusque convertamus oculos, hos vel *Lysidi* Tarentino, (cujus opinionis dilucide satis patrocinium suscipit (d) *Diogenes Laërtius*) vel *Philolao* Pythagorico, quæ *Lilii Gregorii Gyraldi* (e) est conjectura, tribuendos esse, concedere fortasse possemus; quanquam nos *Pythagoram*, indubium præcepti utilissimi auctorem, in hac causa potissimum nominaturos nemo, credo, in jus vocabit. Quid vero ille sibi vult? Quid præcipit discipulis? Nempe, ut in se descendant, atque se ipsos quam accuratissime explorent, præcipit. Quoniam hoc a suis fieri tempore voluerit, de eo non omnes unum sentiunt atque idem. *Diogenes Laërtius* (f), & *Suidas* (g) eos, ut dimissi e schola, antequam domum quisque suam ingrederetur, inter eundem acta sua diligenter rimarentur, jussos esse opinantur. Alii vesperino tempori, quo, ad membra labore defatigata suavi somno recreanda, cubitum ituri erant, reservandum fuisse istud examen ex mente *Pythagoræ*, arbitrantur. Cui sententiæ ut ipsum carmen videtur favere: ita eandem amplectitur *Ausonius*, (*Virgilium*, sine dubio ex memoriæ lapsu, nisi erratum est Typographi, nominavit (h) *Michaël Neander*) quando de viro bono, in nostrum *Pythagoræ* locum intendens digitum, ita (i) canit:

Judex ipse sui totum se explorat ad unguem. & paulo post:
 Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
 Omnia quam longi reputaverit acta dici:
 Quæ prætergressus? Quid gestum in tempore? Quid non?
 Cur isti factæ decus abfuit? aut ratio illi?
 Quid mihi præteritum? cur hæc sententia sedit,
 Quam melius mutare fuit? &c.

Nos litem hanc eo minus nostram facimus, quo magis certiusque nobis constat ex ipso carmine, τρεῖς sive *ter*, i. e. sæpius, maxime vero antequam quieti nocturnæ daretur corpus, diurna opera curatius inspicere atque indagari debuisse. Quid indagandum atque vestigandum fuerit, scrutari magis juvat; quippe in quo totius rei cardo vertitur. *Cato* ille major, firmare sic *Pythagoram* suorum memoriam, & ne, intermissa illa repetitione, quid per diem legerint, audierint, didicerint, vel etiam fecerint, mentibus inopinato excideret, præcave-

(a) in Carm. aureo v. 40. & 41. (b) Lib. III. in *Timæum* Platon. (c) Lib. II. *Pædagog.* cap. 10. Confer. & *Suidam* in *Lexic.* T. III. pag. 232. Apud *Gellium* *Pythagoreis* hoc carmen datur, Lib. VI. *Noct. Attic.* c. 12, p. m. 209. (d) Verba *Diogenis* latine reddita hæc sunt: Quod nomine *Pythagoræ* legitur, *Lysidis* Tarentini, *Pythagorici*, est. &c. Lib. VIII. de *Vit. Philos.* p. m. 233. (m) in *Præfatione* *Symbolis* *Pythagoricis* præmissa Tom. II. *Op.* p. 693. (f) loc. cit. p. 342. (g) in *Lexic.* Tom. III. p. 233. (h) in *Annotationibus* ad aureum carmen *Pythagoræ*, p. 65. (i) *Edyllio* XVI. cujus titulus: Πυθαγορικὴ ἀγκύρα, p. m. 135. 136.

re voluisse, apud *Ciceronem* (k) sibi persuadet, *Pythagoreorum more*, inquit, *exercenda memoria gratia, quid quoque die dixerim, audierim & egerim, commemoro vesperi.* Jam si literarum studiis consecrati, antequam somnum capiunt, totius diei operam omnem revolvere mente solite consueverint, hoc ad comparandam eruditionem multum conferre, lubentes quidem fate-
mur, atque ejusmodi præceptum a Pythagora sapius audivisse discipulos, facile colligimus. Quicumque enim alios bonis literis instruit, ac simul, quanta in-
tellectus humani sit hebetudo, non sane omnia semel dictata actutum perci-
piens, quanta memoriæ debilitas uno labore cuncta non facile retinens, per-
pendit: iisdem auctor est atque svasor, ut, quæ per diem vel lecta vel audita
ipsis sunt, vesperi quasi recoquant regustentque; atque sic, ne ex memoria au-
fugiant illa, quantum in se est, caveant. At plura sunt & majora, quæ in versibus
citatis, atque in hoc imprimis: *πῆ παρ' ἑσπέρην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον ἔκ' ἐτελεσθῆ;* popo-
fcit. Liceat hic uti *Neandri* doctissimi verbis, mentem Pythagoræ ita (l) ex-
plicantis: *Omnem humanæ vitæ lapsum complectitur hic Pythagoras, qui in
tribus consistit rebus. Aut enim secus facimus, quam oportet, hoc est, plus mi-
nusve, quam decet: aut facimus, quod omissum oportuit: aut omittimus, quod
factum oportuit.* Ex hoc, quid Pythagorei jussi fuerint, facile percipit quivis,
inquirere scilicet, numquid die elapso minus recte fecerint? numquid mali
patrarint? numquid boni omiserint? Et dici profecto non potest, quantopere
morum ejusmodi examen, quale suis injunxit Pythagoras, recti pertinacibus
placuerit. Morum ille magister inter gentes sapientissimus, *Seneca*, omnibus
id, exemplum *Sextii* simul afferens, svadet, dum ita scribit (m): *Animus quo-
tidie ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, ut, con-
summato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum
suum: Quod hodie malum tuum sanasti? Cui vitio obstitisti? Qua parte
melior es?* Et de se ipso non ita multo post *Seneca* sic pergit: *Utor hac potesta-
te, & quotidie apud me causam dico. Cum sublatum e conspectu lumen est, &
conticuit uxor, moris jam mei conscia, totum diem mecum scrutor, facta ac
dicta mea remetior. Nihil ipse abscondo, nihil transeo: quare enim quicquam
ex erroribus meis timeam, cum possim dicere: Vide, ne istud amplius facias,
nunc tibi ignosco. In illa disputatione pugnacius locutus es: noli postea con-
gredi cum imperitis. Nolunt discere, qui nunquam didicerunt &c.* Reverti-
mur ad *Pythagoram* nostrum, & inter alia voluisse eum credimus, ut, coelo ad-
vesperascente, sui sciscitarentur, num quem die illo læserint, aut injuria qua-
dam affecerint, ut prius scilicet, quam Sol, opifex diei, coelo decederet, iram
offensi mitigarent, reditumque in gratiam expeterent. Advesfecisse illum
suos laudabili huic mori, e *Plutarcho*, cujus verba latio hic sermone exprime-
re juvat, cognoscimus. Ita autem ille (n): *Imitandi hoc loco sunt Pythagorei,
qui non generis, sed doctrinæ duntaxat societate juncti, si quando per iram ad
maledicta prorupissent, ante solis occasum, dextris mutuo datis, & salutatione
facta, gratiam redintegrabant.* Miramur hic merito, hominem salutari Dei
cognitione parum imbutum ad eam solertiam perspicentiamque veri perveni-
re potuisse, ut, suos eandem sequi regulam, vellet, quam *Paulus*, divina luce
collustratus, *Ephesiis*, cum iisque nemini non Christi doctrinam sectanti, com-
mendavit, dicens (o): *ὁ ἥλιος μὴ ἐπιδύεται ἐπὶ τῷ παρεργισμῷ ὑμῶν.* Delabimur
ad ingentem examinis hujus quotidiani fructum, quem ipse *Pythagoras* indica-
vit, in aureolo suo carmine sic (p) canens:

Τὰυτὰ σε τῆς θεῆς ἀρετῆς εἰς ἰχθὺα θῆσει.

Neque *Ausonio* fructus hic fuit incognitus, carmen de bono viro ita finienti:

. . . . Sic dicta & facta per omnia

Ingressus, ortoque a vespere cuncta revolvens

Offensus pravus, dat palmam ac premia rectis.

Ad stipulatur his laudatus supra *Seneca*, loco duplici antea allegato hæc interse-
rens verba: *Quid pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? Qua-
lis ille somnus post recognitionem sui sequitur, quam tranquillius, altus ac liber,*

(k) in *Catone Majore*, cap. 38. p. m. 548. (l) in *Annotationibus* citatis, p. 64. & 65. (m) *Lib. III.*
de *Ira*, cap. 36. p. m. 191. (n) de *fraterno amore* p. 438. (o) *Ephes. IV. 26.* (p) v. 45.
(q) *loc. cit.* p. 186.

cum aut laudatus est animus, aut admonitus, & speculator sui censorque secretus cognoscit de moribus suis? Omnes nempe hi volunt indicatum, hominem hoc pacto in vitia sua bene cognita iusto ferri odio, virtutisque indies magis atque magis fieri amantem. Et sane non perperam ita sentiunt. Si quis enim, quæ interdum egit, somno imminente, sedulo exquirat, sique vitæ ac factorum suorum aberrationem a lege hac ratione cognoscit; certe, nisi omnium sit profligatissimus perditissimusque, & ingenium habeat insanabile, cohorrescit, & seriam emendandis vitiis adhibet operam. Nam, quod egregie *Senecæ* (r) videtur dixisse *Epicurus*, non tantus virtutis honestatisque hostis, quantus vulgo reputatur, *initium est salutis notitia peccati*. Qui vero hoc expiscandi sui studium intermittit, & dum aliorum papulas observat, a suis, quibus oblitus est, ulceribus vultum atque animum avertit; non potest non in deterius quotidie ruere, usque adeo, ut a turpitudine revocari nullo modo possit. Bene iterum hac de re opinatur *Seneca*, qui *peccare se*, inquiens (s), *nescit, corrigi non vult*. *Deprehendas te oportet, antequam emendes*. Subjicit idem sapiens fidelissimum hoc monitum ad causam hancce quam maxime spectans: *Ideo, quantum potes, te ipsum coargue: inquire in te: accusatoris primum partibus fungere, deinde iudicis, novissime deprecatoris: aliquando te offende*. O si omnes monitoribus ejusmodi probis obtemperarent! O si nullum diem temere præterlabi sine hoc sui examine paterentur! Neque tamen est, cur quisquam existimet, curam hancce propterea parvi esse ducendam homini Christi sequenti castra, quod pagani homines eam suaserint. Recta edoceri a quolibet, qui cupidus est sapientitiæ, non recusat. Præterea non soli sunt illi divino lumine destituti, qui hoc urgent: ipse *Paulus*, qui agitante & dictitante Dei Spiritu scripsit, idem exigit. Non enim iis tantummodo, qui ad epulas illas sacras admirabilesque, quas Christus, mortem aditurus, genti suæ testamento quasi legavit, ut fidem, vitam moresque suos accurate prius scrutentur, mandat (t); sed aliquoties etiam desiderat (u), ut alii omnes, Christo nomen dantes, interiora sua cogitata factaque cuncta eodem modo explorent. Vobis, o mei, hoc, quod dixi, dictum præcipue velim. Si, quod turpe foret, Pythagoræ discipulis non inferiores, si Pauli vel potius ipsius Dei præceptis minus morigeri non esse vultis; nolite quæso in vobis ipsis scrutandis unquam defatigari, examen hoc longe utilissimum vobis futurum esse, certo persuasi. Non inutile quoque illud (tametsi alius sit generis) censendum, quod vestrum aliqui jam moliuntur. Tentare scilicet gestiunt, quid in dicendo profecerint, & quidem

- I. *Joh. Adamus Rochius*, Döbelensis Misn. a nominibus, excepto uno, non pendere aliquid vel felicitatis vel infelicitatis, Oratione latina monstrabit.
- II. *Gottlob Ernestus Hennigius*, Dresdensis, de casibus & felicibus & infelicibus, qui *Augustæ Domui Saxonicæ superiore anno contigerunt*, carmine latino Epico canet.
- III. *Christianus Heinricus Richter*, Bernsdorff. Misnicus, de præstantia s. excellentia hominis Oratione latina aget, & scholæ simul nostræ vale ultimum carmine germanico acclamabit.
- IV. *Paulus Gabriel Wimmerus*, Altmœrbic. Misnicus, irruptione & aggressionem furum nocturna nihil esse crudelius, Orat. græca docebit.
- V. *Georgius Sigismundus Greenius*, Chemnicensis, dictum *Epicteti*: ἀθάνατον χεῖμα ἢ ἀλήθεια καὶ αἰδώς, Oratione græca interpretabitur.
- VI. *Adamus Heinricus Ayrerus*, Chemnicensis, *Ludovici, Comitis Gleichenensis matrimonium duplex, cum Christiana & Turcica conjugè simul initum*, carmine germ. depinget, &
- VII. *Joh. Christophorus Schieferus*, Dittersdorff. Misnicus, *pauperes, quibus & felix ingenium & ardor discendi est, a studiis literarum non arcendos esse*, Orat. latina ostendet.

Hocce ut Vos, *Patroni ac Fautores*, benigne audiatis, præsentiaque Vestra honorifica ad iuge studium excitetis, ea, qua par est, humanitate rogo atque obtestor.

(r) Epist. XXVIII. p. m. 65. (s) epistola eadem. (t) 1. Cor. XI. 28. (u) Gal. VI. 4, & 2. Cor. XIII. 5.